

Bibliothèque numérique

medic@

**Revellois, Jean-Baptiste de - candidat
/ Patin, Robert - président. - Nihilne ab
annis Climactericis metuendum ?**

1657.

Paris

Cote : ms 2322 n°54



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0054](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0054)

271
54
QVÆSTIO MEDICA,
QVODLIBETARIIS DISPV TATIONIBVS

MANE DISCV TIENDA, IN SCHOLIS

Medicorum, Die Iouis IIII. Ianuarij,

M. ROBERTO PATIN,

DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

Nihilne ab annis Climactericis metuendum?

AN, N V S est dierum noctiumque orbis ac circulus, qui & sideris vnus, & omnium eodem vnde profecta sunt reditu varius efficitur. Magnus verèque vertens est, cum Stellarum errantium ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conuersio: sed & singulæ suum describunt absoluuntque annum, motus, quo duodecim signorum orbem lustrant, tarditate & celeritate dissimilem. Populariter tamen, Solis, qui astrorum obtinet principatum, ad idem punctum reuoluti cursu, ceu vnus temporum dux moderatorque sit, annum metiuntur. & humanæ vitæ spatia: hæc enim brevis licet punctoque similis, multos complectitur orbes circumductos maiores minoribus, nec adeo tacitè labitur, quin eius certi sint flexus ac velut articuli, quibus varias in partes distinguitur. Nempe ex tacitis intusque delitescantibus causis, varias quisque sustinet mutationes, quæ ferè magis clucent septimo quoque anno, quem propterea putant signum ætatis, & veluti transitus notam imprimere, nouâ etiam nomenclatione; vt sit primâ annorum hebdomade infans, secundâ puer, tertiâ adolescens, quartâ iuuenis, quintâ vir, sextâ maturus & grauis, septimâ senex, atque inde decrepitus. Ex eone igitur annis Climactericis nomen est? quodd homini in lucem edito, dataque vitæ spatia decursuro, ad mortem eundum est, iis quasi gradibus in quibus hærent multi, nec paucis velut in extremo vita finitur.

NE M I N I ynquam vitæ ordo tam eucurrie prosperè, vt non aliquando casibus aut incommodis quibus illa quasi telis proposita est, interruptus fuerit: diuersæ incurrunt temporum velut lacinia, quæ fortunatissimum quemque variis seu periculis seu morbis obijciant: homini dum anima est, tanquam in palæstra luctandum, cum innumeris quæ illum vndique circumstant malis, à quibus si minus deijcitur, certè inclinatur; non raro casurus, nisi velut ruinosus paries tibi-

fulciendus, ad aliquid tanquam adminiculum adnitatur. Hinc annos quibus clade aliquâ vita frequentius affligitur aut subruitur, Climactericos, ipsaque adeo pericula *κλιμακτηριος* appellauit Antiquitas. Nec vero vna illorum erat classis, vnaque ratio, alios siquidem finxere leuiore, grauiore alios: & in his quosdam *ἀνέχεται*, omnes cum nouenarios, tum maxime septenarios non parum constare periculi, at tertium supra sexagesimum ætatis annum, qui vtriusque numeri multiplicati, & sibi inuicem obligati summam perficiat, hominem in vltimum capitis discrimen nunquam non vocare, sæpius conficere. Eorum etiam annorum, quemadmodum & vitæ terminum statuerunt aliqui octogesimum, vt qui hunc prætereant, stadium currenti similis metas transgrediatur. Contrà alij, qui ad primam hominum ætatem respexere, tam longè Climactericorum vim patere voluerunt, quam longè nunc potest vita spe & votis extendi. Vis plura? ne communi lege nascerentur & perirent Heroës, certos & quidem anticipatos ad moriendum annos stultè assignarunt, excitatis illis spiritibus, quos stultius nonnulli perinde ac ampliore opus sit spatio ad dedolandas tam illustres animas, cæteris tardius, ex vteri latebris in lucem exire prodiderunt. His figmentis fidem adiunxere turbulentis erroribus mancipati Veteres, ad credendum carunculae vitulinae, quàm perito Duci paratior: tanta nimirum priscae nutrix superstitionis inscitia penè omnium animos oppresserat, hominumque imbecillitatem occu-
parat.

QVI nec à numeris, nec à Cæli signis sibi metuit, nihil habet cur annos Climactericos quibus aliunde venire nihil potest, vel minimum reformidet. Numeri certè, quidquid Pythagoreorum turba nugetur, nulla omnino vis est ad agendum, nulla dignitas, nullum in Naturam imperium, si bene ex se æstimeretur, ne vnum quidem aliquid est, sed multorum minimè diuiduorum cumulus, & qui solâ mente colligitur ordo: reuera quæ ex Naturæ præscripto contingunt mutationes certis fiunt numeris, vel si mauis, in numeratis dierum interuallis, at non tamen à numeris, qui præter spatium ad rerum perfectionem nihil conferunt: non Mare, non Euripus, non febres interpolatæ numeri vi ac munere mouentur, sed aquæ vel humoris ingenio; non horæ, quæ quis animam senio confectus exhaustat, mortis causa accepta ferenda est, sed vniuerso tempori, rectius saluari humori à vitæ carceribus vsque ad metas perpetuè dilabenti. Vt in seminibus vis inest earum rerum quæ ex his progignuntur, sic in causis conditæ sunt res futuræ, solo tempore absunt: quasi rudentis explicatio, sic temporis est traductio nihil noui efficientis, sed primum quidq; replicantis. Vana imprudensq; diligentia est, quæ dierum numerum computat, rerum momenta non ponderat. Faustos, inauspicatos, nefastos, commodosque dies, quosdam vt Calendarum & Iduum, nuptiis alienos putare, Romanæ leuitatis est: Nonis velut ominosis seræ rei nihil velle inchoare, Imperatoris est seridè despicientis, at exacto Climacterico iuueniliter exultantis. Quid tu sextum in morbis diem ceu tyrannum odisti? qui si hunc iugulat, istam seruat: Ipsum Septenarium olim sacrum, Medicisque crassioribus crisis expectatione perperam feriatum, nonne anni Climacterici, *ἀνέχεται* vulgo dicti, sæpius infamarunt: & rursus si incendio, naufragio, ruinæ perituro, res est vnius horæ, vel diei, quid attinet annum quem istæ clades non totum occupent, ac non potius dies horasve Climactericas appellare? Vna planè natura est annorum dierumque omnium, quos ex atris albos faciet, qui fortiter & virtutis auspiciis geret omnia.

SIMILIS est vecordia quod sapientibus & Ecclesie detestatum genus hominum, potentibus infidum, sperantibus fallax prædicat, ad agendam vitam nascendi tempus pertinere, perindeque ut fuerit cælestium orbium *ὁρασις*, occursu maleficorum siderum pulsatus cuiusque horoscopus, ita vitam longiorem breviorēque destinari, corpus, mores, animumque formari, alias atque alias fortunas dari, seruos ad regna, captiuos ad triumphum vocari. Diluenda miseratione hæc commenta, ex eorum profecta cerebro qui pro Numinibus habuere planetas, tracta etiam ab his *ἡρώ* appellatione (namque Græcis *ἡρώ* currere est), qui Cælum implevere fabulis, trigonis, cuspidibus, concinnatisque ex vario Stellarum cœtu, belluarum imaginibus: ac ne quid ex esse ætuum obseruatione natum videretur, Monstrorum ut Capricorni effigie. Quo modo in Pictorum, ita in Astrologorum pergulis picta sunt omnia, solidi nihil ostendi potest; aufer quas isti temere consecrarunt bestias, tolle nomen Veneris à Stella sic vocata, simul & ficti Numinis vim ad creandos libidinosos, & artem quæ id docet, sustuleris. Rerum naturam vertit; excusandæque nequitie asylum aperit, qui Stellarum imperio concreuisse hominem, hisque ducentibus tanquam *ζῶον ψεύδεται*, huc illuc circumagi autumat: propter Deum homo, propter hominem mundus factus est, ipsaque sidera, quæ præter calorem & lucem nihil fundunt ex alto; alioquin ubi homini homo lapsus est, nulla Stella non est *ἀνθρώπου γέννησις*; Vtinam ludicræ nulloque scientiæ fundo conceptæ artis authores expediant, cuius sideris iniquitate sit, priuatarum ut rerum fures, vitam agant in neruo & compedibus, publici in auro & purpura. Si vitæ, mortisque hominum tempus, ratio, & causa in Cælo est, quomodo prisca longævitatis, quæ aliàs nongentorum erat annorum, tantam nunc patimur epitomen? an quod siderum, seu rerum omnium vis languet ac deteritur? Suntne Sol & Luna mutata loco, minuta lumine, potestate, & spatio? Qua Cæli facie & habitu anniuersarium Climactericum vnus est expertus Antipater? Sunt vitales in Ægypto partus octimestres, quidni & in Africa ubi Cælum idem est? Quis sit ut tempore Astroque dispari ortostot pueros vno die demetant morbilli & variolæ, etiam veteribus cognitæ? tot homines fractâ naui vel acie, vnâ horâ vnoque genere mortis occumbant: & contrâ vno temporis ictu nascantur Reges & inopes, serui, & Domini, ut fortunas, sic exitus dissimiles habituri. Est ubi qui in vitam editur fœtus, euoluto capite luctatur in angustiis portæ, diutulæque laborat circa humeros, erit igitur diuersum capitis & reliqui corporis fatum, si hoc rapidissimo temporis momento accipitur. Nulla prorsus Stellarum decreta sunt, neque causam, neque notam vllam habent, quâ quid futurum sit, prævideri ac definiri queat. In motu ac periculo multa & creduntur facilius, & finguntur impuni. Falli volentibus, nunquam defuere qui fallerent, qui hominum, & temporum definitione sublatâ, sua mendacia obscuritatis nube inuoluta spargerent, ut si quando veritatem casus imitetur, diuinos sensus assequutos se putent, qui humanis carent.

NIHIL itaque refert ad vitam, seu valentem, seu diuturnam, quale sit Cælum, plurimi quale solum, qualis regio & viuendi ratio, quale semen quod in fœtum cogitur. Huius vitio multi dum feruntur, dum corporantur, non annos, sed dies Climactericos in aluo Matris inueniunt. Nempe ut Architecto sitne domus duratura, sic Medico, cuiusmodi futurus sit vitæ tenor, ex primis quæ

faciuntur fundamentis, augurari licet. Inde est quod non raro humani generis pestes, heroicæ virtutis natos de se dant, & ex Heroibus gignuntur carcinomata. Est ubi Ars Naturæ vim insitam promouet, est ubi penè totam immutat. Hic olim mera barbaries, nunc Athenas ipsas Atticas reperias. In Stilpone, quem Astrologorum natio vinolentum ac mulierosum sinxerat, nemo unquam vllum vinolentia aut libidinis vestigium vidit. Ut fuerit tenue ac purum, aut pingue ac concretum Cælum, ita alia, atque alia valetudo. Ex Persea, quæ translata venenatam vim deponit: ex pestiferis oppidis, quibus viuo flumine in desidis aquæ locum infuso, simul est infusa salubritas, liquet quanti sit ad vitam momenti, quæ cuique regioni & solo subest natura. Cibi non conuenientis mutati, deficientis, intempestiui, magna vis, longèque maior vini: reputa quot Climacteres acciuerè profundiores cyathi, quibus multi mersi sunt; Totas aliquas gentes reddit aquæ potus & frugi victus. Longæviores qui ex professionis voto suum fraudant genium. Qui in otio & luseris degunt, qui saginâ corpus offerciunt, mirum quantum de vitæ summa detrahunt. Bene sit si his tantum difficultatibus miser prematur homuncio: datus fragili corpori animus, ad labores mollis, in molestiis anxius, in timore humilis, quo ex fonte quid non ebullit mali? Harum profecto causarum incurfione tardiùs aut citiùs vitæ stamen abruptitur. Senum quidem tempestiuâ maturitate caducorum, & in extrema velut ætatis tegula positum, spiritus facillè eliditur: at sex instituto in ciuitatibus Libitinæ censu calculum ponas, tam frequenter quolibet anno, quàm sexagesimo tertio, huius appropinquatione reuera conturbantur, quibus omnino grauis est ætas, nihilque opis in ipsis ad bene beatèque viuendum, qui futuri desiderio, præsentium tædio ægri, in senectutem quam toties optatam, adeptamque demum accusant, sana consilia distulerunt; Sapiens verò, qui ex quietè, purè, eleganterque ductâ ætate, corpore non animo senex est, qui omnia bona à seipso petit, sui cultor est, sibi vacat, secumque semper vixit, probè à se vitæ conscientia letus ad diu meditatam mortem, quam Naturæ necessitas afferat, non trahetur, sed ibit certo gradu, erectoque animo, certus tunc esse viuendi finem optimum, cum integrâ mente, ceterisque sensibus, opus illa suum, eadem quæ coagmentauit, Natura dissoluit, è putrique domo discedentem animam transmittit in vitam omni bonorum genere circumfluentem.

Nihil igitur ab annis Climactericis metuendum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | |
|--|--------------------------------------|
| M. Ioannes Antonius Bourgaud. | M. Ioannes de Bourges. |
| M. Michaël Langlois. | M. Robertus Patin, Præses. |
| M. Germanus Hureau. | M. Michaël de la Vigne, Schol. Prof. |
| M. Hermannus de Lannay, Schol. Censor. | |
| M. Philippus Harduin de S. Jacques. | |
| M. Helias Beda. | |

Proponebat Lutetia IOANNES-BAPT. DE REVELLOIS
Ambianus, A. R. S. H. M. DC. LVII.

*cette thèse est la 1061^e de la classe VII
de in Jure des thèses de la faculté.*